



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.61. Theodori mors. Michaël Palæologus Imperator Græcus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](#)

dicatorum erat hanc absolutionem dare. **Sæcul. XIII.**
Si Palavicinus ac cæteri Ecclesiæ rur-
sum se submittere velint, pacta cum Man-
fredo quondam Tarenti Principe, aut cum
reliquis Dei ac Ecclesiæ inimicis confla-
ta rescindere debent ac satisfacere in
punctis omnibus, ob quæ a sancta Sede
proscripti fuere. Nullum inter civitates
foedus Ecclesiæ Romanæ nomine jungas:
non convenit, eam tale negotium in se
fuscipere. Nec milites facros conscribi
cura, quia Deus commiserans Ecclesiam
suam ab Ecelino liberavit: & quod ad re-
demptionem votorum attinet, nos ei pro-
videbimus. Dabat 13 Dec. 1259.

A.C. 1259

§. LXI.

*Theodori mors. Michaël Paleologus
Imperator Græcus.*

Hoc ipso anno Manfredus Michaëli Epi-
rotarum summo Principi, cuius fi-
liam sibi nuptiis junxerat, subsidium mi-
sit contra Michaëlem Paleologum Græ-
cum Imperatorem Constantinopolitanum.

Imperator Theodorus Lascaris correptus *Acropol.*
morbo, cui Medici nullum remedium in- *n. 81.*
veniebant, se fascino affectum credidit, *Id. n. 74.*
ac ex levissima suspitione delatos com- *Pachym. l. 3.*
prehendi jussit, nullo purgationis modo
eis relicto, quam ferri candardis periclitata-
tione: nam hæc supersticio Græcos etiam-
num

Sæcul. XIII. num tenebat. Cum morti proximum se
A.C. 1259. videret, monastica indutus ueste accessi-
 to Archiepiscopo Mitylenensi facta noxa-
 rum confessione, ad ejus pedes prostratus
 lacrymis humum rigabat suis, sæpius
 clamans: JESU Christe! ah te deserui;
 suaque manu largam distribuit stipem.

Gregoras
lib. 3. c. 2. n. 6.

Sic vitæ curriculum confecit anno æta-
 tis trigesimo sexto, regiminis sui quarto
 nondum completo, quod mense Novem-
 bri 1254 incepturn mense Augusto 1258

Maur. Da-
vid. animad. finiit. Filium reliquit necdum octo an-
 nos natum, ac testamento suo Guberna-
 torem Imperii declaravit Præfectum ve-
 stiarii Georgium Muzalonum. Quem
 tanquam hominem fortunæ omnia de-
 bentem Optimates nono post Theodori
 obitum die in ipso templo, ubi funeris
 exequiæ celebrabantur, de medio su-
 stulere.

Tum in Michaëlem Paleologum, qui
 etiam nomen Comneni ex avia sua ca-
 piebat, conversi sunt oculi: & Arsenius
 Patriarcha Constantinopolitanus parvi
 Principis Tutor una cum Muzalono de-
 signatus se passus est permoveri, ut illi
 sumnam rerum traderet. Hic Præful
 pietatis studio quam politicis artibus cla-
 rior cum primoribus Episcopis Imperiique
 Proceribus inito sæpius consilio confe-
 nit, ut, quamdiu parvulus Imperator Ioan-
 nes Lascaris minor annis esset, Michaël
 Paleo-

Paleologus primariæ potestatis clavum Sæcul.XIII.
 cum Despotæ titulo teneret. At paulo A.C.1259.
 post Imperii Optimates Magnesiæ Paleo-
 logum scuto impositum proclamarunt Im- Greg.lib.4.
 peratorem. Patriarcha Arsenius, qui c. I.
 tunc Niceæ agebat, rei nuncio vehemen- Acrop. n.77.
 ter afflictus, pugnoque Principi metuens,
 proscribere Paleologum ac electores ejus
 cogitabat primum: sed imperans iræ ju-
 ramentis potius terribilissimis adstringen-
 dos credidit, ut ne appeterent vitam pue-
 ri, aut ei malefacerent. December inie-
 rat, quo vix elapso, nempe 1 Jan. 1259
 Patriarcha ipse Michaëlem Paleologum
 tanquam Imperatorem Niceæ ad aram
 coronavit, sed solummodo ad tempus,
 donec scilicet Joannes Lascaris regnando
 per ætatem par esset, eaque conditio-
 ne, ut tunc ille ultro relicto solio cuncta
 imperatoriæ dignitatis insignia poneret:
 atque hoc sibi promitti, promissumque per
 juramenta prioribus grandiora firman-
 dum curavit.

§. LXII.

Flagellantes in Italia.

Interim Italiam corripuit pietatis ardor
 hactenus inauditus. Perusiæ coepitus
 Romam venit, indeque in reliquam re-
 gionem. Nobiles, plebeji, senes ac juve-
 nes immo quinquennes pueri ob crimi-
 na